

et insuper maximum periculum exterminii nominis christiani a praepotenti invasione Turcarum imminens.³⁰ His ergo p[re]ae oculis habitis, facile intelligitur magna cura Curiae Pontificiae et Generalitiae de fratribus Vicariae Bosnae. Mittitur ad eos S. Joannes Capistranus, et praesertim S. Jacobus de Marchia, ut reformatos eos. Papa vero ex sua parte ejudem divisionem impedit, varia ipsi officia committit, ex quibus statim quaedam ad rem nostram pertinentia videbimus.

Jam innuimus sacerdotes saeculares ob timorem Turcarum fugere incepisse. Hic adhuc unum exemplum non absque utilitate erit adducere. Statim initio pontificatus Eugenii IV (1431) fratres Vicariae Bosnae ipsum de fuga sacerdotum propter Turcas certiores reddunt et, ne populus sine pastoribus remaneat, ibi sua loca seu hospitia erigere petunt.³¹ Papa petitioni satisfecit. — Duobus annis postea (1433), ad nuntium regis Hungariae Sigismundi de eorum laboribus in partibus Bulgariae, denuo Christi Vicarius in sua bulla »Romanus Pontifex« illas Joannis XXII, Urbani V et VI atque Martini V producit atque confirmat absque ullis mutationibus, necnon in praedictis partibus Bulgariae »domos et loca quaecumque de novo recipere« concedit; immo actus omnes in praefatis bullis contentos ad episcopalem jurisdictionem pertinentes exercere facultatem facit »in ipsarum terrarum villis atque locis a quibus tunc episcopi catholici... ultra duas dietas legales remoti fuerint«.³²

Nec silentio praetererunda est illa concessio a. 1436 de die 25 Augusti, qua in toto ambitu Vicariae omnibus fide-

³⁰ Bašagić, o. c. 8 sqq; Klaić, o. c. 275 sqq.

³¹ In petitione franciscanorum continetur: »...quod... in provinciis Dalmatiae, Croatiae, Bosnae et Sclavoniae nonnulla loca existant, in quibus christiani fideles inhabitant, quae crucis Dominicae inimici Turci saepissime perlustrantes, christicos praedictos et eorum filios secum asportant, ... et propter timores ipsorum, sacerdotes et ministri Ecclesiae in hujusmodi locis et partibus minime stare volunt, quinimo loca et partes ipsas potius fugientes. AM, ad an. 1431 n. 1. (X, 577—578).

³² Hüntemann U., Bullarium franciscanum, Nova series, I, Quaracchi 1929, 57—59 n. 109; etiam Concilium Basileense eadem privilegia confirmavit die 30 Aprilis 1434. Fermendžin, Acta Bosnae, 142 n. 715.